



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 2. Oppressionem pauperum cavendi motiva.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

opprimunt. Qui, si quid obtinuerint, indemne illis cedit, & impune; neque hinc quidquam sentiunt doloris: ideo ut cum raptò vivant, rapinam vi à pauperibus extortam, suam deputent venationem. S. Antiochus hom. 37. de fide.

Plurimi è piscibus sunt, qui mutuo se devorant; & minor inter illos majoris cibus est. Quòd si quando contingat, eum, qui minorem ceperat, fieri alterius prædam; ambo sub eundem veniunt ventrem postremi. Quid nos homines aliud facimus, cum potentiâ opprimimus inferiores? Isidorus Clarius l. 1. or. 57.

Comparantur leonibus.

Divites eguerant &c. Pl. 33. 11. In Hebræo Pro: divites, est *leones*, sive *leunculi*: vocat enim Propheta divites impios, leones; quòd aliena rapiant. Bellarminus hic.

Catuli leonum rugientes, ut rapiant. Pl. 103. 21. *Exibit homo ad opus suum.* &c. v. 23. Hinc admonemur: bestiis, quæ ratione, & manibus, carent, datum esse à Deo; ut per insidias nocturnas ex raptò vivant: hominibus verò, qui ratione, & manibus, ornati sunt, prohibitas esse rapinas, & insidias: cum possint ex justo labore manuum suarum terram exercendo, vel mercaturam faciendo, vivere. Proinde fures, & latrones, & quicumque insidiando, decipiendo, mentiendo, rapiendo, vitam auerunt; ordinem divinæ providentiæ, quantum in se est, perturbant; & de illis rectè dici potest, Pl. 48. 13. *homo, cum in honore esset, - comparatus est jumentis insipientibus &c.* Idem hic.

Alia Symbola.

Nemrod ipse capit esse potens in terra. Gen. 10. 8. & *erat robustus venator coram Domino.* v. 9. Primus cœpit tyrannidem exercere, ait S. Hieronymus; quæ tyrannica violentia significatur hic: *erat robustus venator.* frequens metaphora in sacris literis ad significandam tyrannidem. Pl. 90. 3. *liberavit me de laqueo venantium.* Thren. 3. 52. *venatione caperunt me inimici.* Ezech. 32. 30. *princeps Aquilonis, & universi venatores.* Fernandus hic. Nemrod interpretatur *tyrannus*. S. Isidorus l. 7. etym. c. 6. Et Pererius inquit: vox venator significat insidiosum: & violentum oppressorem hominum. Sic & Abulensis: *robustus venator*, id est, per violentiam homines opprimens, tanquam animalia capta in venatione. de Arcones in Il. 3. Disc. 5.

Sicut camelus &c. Levit. 11. 4. Per gryphes potentiam crudelitas designatur, qui ferina rabie in subditos debacchantur. Hugo Card. hic.

Conterebam molas iniqui. Job. 29. 17. id est, destruebam violentiæ rapacitatem; nè scilicet posset ulterius rapere. S. Thom. Aqu. lect. 1.

Qui devorant plebem meam, sicut escam

panis. Pl. 5. Sicut enim panis quotidie comeditur; & semper sapit: ita impii semper, & cum delectatione, vexant pios, & nunquam satiantur. Bellarminus hic.

Qui devorant plebem meam ut cibum panis. Pl. 52. 5. Quarit S. August. hic. cur metaphoram panis adhibeat? omitatque tam multas, vel fructuum, vel ciborum? & respondet: ut significet efficacius ministrorum tyrannidem indefessam in miseris opprimendis. Verba illius sunt: possumus modo illa, & modò illa: non semper olus, non semper carnem; semper autem panem. Quid est ergo, devorant sicut escam panis? sine intermissione devorant. Et quid sequitur? *Deum non invocaverunt*, quia scissilia inopum calcat, & potentiorum tapetia vestigiis premet. Oliva t. 1. conc. 6.

Contribulasti capita draconum in aquis. Pl. 73. 13. Dracones Ægyptios vocat; capita verò draconum eorum Duces, & centuriones, & Præfectos. Draconem, quem singulariter dixit, Pharaonem nominat; qui multis principibus præerat. B. Theodoretus hic.

Generatio, quæ pro dentibus gladios habet. Prov. 30. 14. Hebr. *molares habent molares.* id est, dentes molares habent acutos; ut non tam dentes, quàm cultri acutissimi, esse videantur. q. d. devorant, & expilant pauperes tam crudeliter, acsi, instar ferarum, dentibus velut cultris eos laniarent. Cornelius hic.

Qui optimus in eis est, quasi paliurus. Michæ 7. 4. q. d. qui inter hos optimates injustos, & rapaces, videtur optimus, id est, minus malus; si cum cæteris rapacioribus comparatur; is tamen, quasi paliurus spinosus, & asper, pungit, vulneratque proximos. Id. hic.

Crudeles similes canibus; qui percussam carnem, & ululantem persequuntur. Pl. 108. 17. *persecutus est hominem inopem, & mendicum.* Geminiani l. 5. c. 30.

§. II.

Oppressionem pauperum cavendi motiva.

Num. 1.

Primum.

Quia barbara, fera, crudelis.

Ex Veteri, & Novo.

*N*oluit bibere; sed libavit eam Domino. 2. Reg. 23. 16. Causam dat S. Ambros. priori Apolog. pro David c. 7. intendit David hoc factò ostendere; quàm longè à tyrannorum ingenio absit: hi enim subditorum sanguinem avidissimè bibant. At David: *num sanguinem hominum istorum, qui prosecti sunt, & animarum periculum, bibam?* Pinna in Eccl. 5. Ethol. 62. Prospexit, nè cui regum bibendi usus alienis periculis quæreretur. S. Ambros. in Apol. c. 7. Paternum fuit illud Agamemnonis suspitium; quan-

do

do pro felici navigatione filiam liturus ait: ventos sanguine emimus! Et regium erit, quod non horreat, subditorum sanguine ludicras sibi comparare delicias? & bonorum hominum sudores, & lacrymas, in ludis consumere? Baeza t. 2. l. 6. c. 3. §. 10.

Da mihi vineam tuam, ut faciam mihi hortum olerum. 3. Reg. 21. 2. S. Ambros. l. de Nabuthe c. 3. hæc erat omnis infamia, hic omnis furor; ut spatium vilibus oleribus quaereretur. Non tam ergo ipsi cupitis (alloquitur divites avaros) quasi utile possidere; sed alios vultis excludere. Major cura vobis est de pauperum spoliis, quam de vestris emolumentis: injuriam vestram putatis, si quid pauper habeat, quod dignum possessione divitis aestimetur &c. Avis avisus se associat, denique ingentis plerumque agminis volatu caelum obtegitur: pecus pecori adjungitur; piscis piscibus: nec damnum ducant, sed commercium vivendi, cum plurimum comitatum capeffunt; & quoddam munimentum solatio frequentioris societatis affectant. Solus tu homo confortem excludis, includis feras; struis habitacula bestiarum, destruis hominum: inducis mare intra prædia tua, nè desint belluæ: producis fines terræ; nè possis habere finitimum, Ramirez in ep. 4. v. 24.

Factus est Dominus refugium pauperi. Ps. 9. 10. Non timeant amplius pauperes: quia Dominus in caelo sedens factus est refugium pauperum. Bellarminus hic.

Dives injuste egit, & fremet: pauper autem lasus tacebit. Eccl. 13. 4. Dives graviora se illaturum comminabitur, si vel pauper ob injuriam mussitet. Leo Symbolum principum, dum gregem invadit; licet oves occidat, reliquæ tamen neque hincere audent. Pinna in Eccl. hic. Ethol. 250.

Pascua divitum sunt pauperes. Eccl. 13. 23. Multi sunt, qui pauperibus non aliter ac fundò suo utuntur: ex horum sudoribus victum sibi, & delicias, quarunt; hos, sine ullâ mercede, ad labores indebitos cogunt, & verbis durissimis compellunt. Segneri f. 22. D. 4. Quadr.

Qui effundit sanguinem, & qui fraudem facit mercenario, fratres sunt. Eccl. 34. 27.

Et erit in die illa, attenuabitur gloria Jacob, & pinguedo carnis ejus marcescet. Il. 17. 4. Ubi divitiæ vocantur carnes pingues. Sic enim vertit S. Hieron. quis igitur non sine gravi sensu doloris sibi carnes amputari, & viscerum extrahi medullas, ac vitalem pinguedinem exugi feret? Fernandus in Gen. 2. 21.

Violenter tollitis pelles eorum desuper eis, & carnem eorum desuper ossibus eorum, qui comederunt carnem populi mei &c. Michæ 3. 2. 3. Hic vocantur opes pellis, caro, ossa; quas qui violenter, & injuste diripit, miserum hominem excoriat, exostat, concidit in frustra, decoquit, devorat. Fernandus in Gen. 2. 21.

Vade ad mare, & mitte hamum. Matth. Polyanth, Sacra, Tom. II,

17. 26. Cur, ad didrachma solvendum, Petrus ad mare mittitur? Cassiodorus l. 10. var. 13. ultra omnes crudelitates est, divitem velle fieri de exiguitate mendici; pauperem potius ad se trahit, si exigentium pecuniam non repellit. Sylveira hic q. 9.

Et misit spiculatorem attulit caput ejus in disco. Marc. 6. 27. Cur Baptista decollatus occubuit? S. Fulgentius l. 7. multorum jam capita piscium, pecudumque præcesserunt. Sed, quantum est ad regiam voluntatem, nihil actum, nihil procuratum esset; si defuisset regio prandio caput humanum. Mundialium principum tyrannis non fatiatur tantum piscium, pecudum, altiumque, capitibus; quantum suorum sanguine. Sylveira hic q. 14.

Da mihi bibere. Joan. 4. 7. Mundi principes non sitiunt suorum sanguinem. Hic veri regis Christi exactiones adverte, quas exigit à suis; nempe parum aquæ, ut ardentissimæ siti satisfaciat. Non est ea siti tyrannorum Mundialium, quam extinguat aqua, sed suorum sanguis. Baeza t. 2. l. 6. c. 3. §. 10.

Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis. Luc. 22. 28. Nota, quod dicit *meis*: omnes enim tribulationes, quæ Fideles Christi sustinent, Christi sunt, Christo inferuntur. Unde qui viduas, vel pupillos, vel pauperes, opprimunt, Christum persequuntur. Unde & Paulo non dicitur: quid Fideles meos, sed, *quid me persequeris.* Act. 9. 5. S. Bonavent. f. 3. D. infra oct. Asc.

Ex Patribus, & aliis.

Belluarum est, sibi vivere; nec suas utilitates in commune conferre. Qui opprimendis, ac decipiendis, hominibus homines nati persistunt, in mores ferinos, non naturæ, sed vitæ, mutatione degenerant. S. Prosper aqu. l. 3. c. 22.

Est etiam mensa diaboli; in qua non nisi animarum sanguis bibitur; non nisi cruciatus hominum in cibo sumitur. Petrus Cell. l. de pan. c. 1.

Christus semel olim crucifixus in ligno foris; in pauperibus suis crucifigitur, & torquetur in luto. Petrus Bles. in Quarimonia Abbatis sub onere Prælatuæ.

Carnem, & sanguinem, auferunt raptores pauperibus; cum auferunt eis illa, quæ ipsi acquirerunt labore, ac sudore, & proprii corporis consumptione: quæ etiam proprio corpori subtraxerant; ut in carnem converterentur, & sanguinem. S. Thom. Aqu. l. 6. c. 2. de erudit. principum.

S. Francisco de Paula à rege Franciæ Ludovico XI. oblata erat, coram multis nobilibus, plena lanx pecuniæ, ad Conventum Ordinis Neapoli ædificandum. Sed recusavit accipere Franciscus pretium, ut ajebat, popularis sanguinis, per injusta vectigalia expressi: & arreptum è nummis unum diffregit, per medium; ex quo

continuo stillavit sanguis. Bollandus 2. April.

Ludovicus XII. Rex Franciæ dicere solebat: plebem, & rusticos, esse pascua tyrannorum, & militum: tyrannos autem, & milites, esse pascua diabolorum. Cornel. in Levit. c. 11. 13.

Num. 2.

Secundum

Oppressio pauperum clamat in Cælum.

Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Gen. 4. 10. Quid tunc? exulat victus à clamore: prevaluit adversus Abel, non clamorem. Naxera in Jos. 24. §. 20.

Clamor Sodomorum, & Gomorrhæ, multiplicatus est. Gen. 18. 20. S. Chrysof. hom. 42. in Gen. multas injustitias, quas commiserunt, demonstravit; & surrexerunt potentiores, ditioresque contra pauperes. Proinde. inquit, non solum erat magnus plandus clamoris; sed & peccata illorum non vulgaria fuisse, sed magna. apud Pinnam in Eccl. 5. Ethol. 62.

Clamaverunt ad Dominum filii Israel; qui posuit tenebras inter vos, & Aegyptios, & adduxit super eos mare. Jos. 24. 7. Injuste afflicti clamores sunt fortissima contra oppressores mala. Naxera hic §. 20.

Vox in Rama audita est. Matth. 2. 18. Rama interpretatur excessum. Unde Jer. 31. 15. *vox in excelsis audita est:* quia in cælum coram Deo ascendit. Sicut Jacobus c. 5. 4. de pauperibus dicit: *clamor eorum in manus Domini Sabaoth introiit.* Dionys. Carth. hic.

Num 3.

Tertium.

Oppressores pauperum Deus odit, vindicat.

Sanguinem animarum vestrarum requiram de manu cantharum bestiarum &c. Gen. 9. 5. Sanguis animæ lacrymæ sunt, ut dicit Augustinus; quas Dominus vindicat in oppressores pauperum, & viduarum. Hugo Card. hic.

Memento, quæ tibi fecerit Amalec in via. Deut. 25. 17. Iram vult nos Deus deponere, & injuriarum non meminisse: cur ergo hoc populo illatum malum alitè mandat animo retineri, & vindicari? Imò verò 1. Reg. 15. 3. jubet Deus Sauli, ut hanc illatam injuriam vindicet. Cur Deus ita irascitur Amalec, ut penitus velit deletos? Deut. 25. 18. *quomodo occurrerit tibi, & extremos agminis tui, qui lassè residebant, ceciderit.* Scilicet ob id valde offensus Deus, quòd imbelles homines, & qui se tueri non poterant, sit aggressus. Sic vindicat Deus oppressionem pauperum. Pinna in Eccl. 5. Ethol. 62.

Cur timebo in die mala? iniquitas calcanei circumdabit me. Pl. 48. 6. S. Chry-

sof. hic: quid timebo in die malo? unum tantum: nè fortè viæ meæ, & vitæ iniquitas, me circumdet. Scit Scriptura fraudem vocare calcaneum. Theodoretus: calcaneum aliqui iter vitæ nuncuparunt: ego verò opinor fraudem significare, ex translatione eorum, qui currunt, qui calcaneò sæpius adversarios dejiciant. Juxta hoc Patres, David super omnes improbitates iniquitatem calcanei, fraudis, & direptionis pauperum, adstruit, à principibus, & Dynastis pertimescendam. Arcones in If. 3. Disc. 2.

Timeo ego Dominum meum regem, qui constituit vobis cibum, & potum. Dan. 1. 10. Prudenter hoc dixit princeps Eunuchorum. Sic timeant omnes principes Regem regum; qui omnib⁹ hominib⁹ cibum, & potum constituit. Is, dum videt alios regiis beneficiis infarcinari; alios spoliari, & despici: sanè dumnabit caput servorum suorum, etiam regum. Bæza t. 2. l. 6. c. 8.

Audite verbum hoc vacca pingues &c. Amos 4. 1. 2. *quæ calumniam facitis egenis, & confringitis pauperes. quia ecce dies venient super vos, & levabunt vos in contis, & reliquias vestras in ollis ferventibus.* Qui enim, ut vacca pingues impinguebantur de pauperum substantiis, ut amplas ollas sibi coquerent ad suas delicias; meritò talem pœnam suscipiunt; ut & ipsi in ollis coquantur, & à flammis devorentur. Sylveira addit. in Matth. 16. q. 2.

Nihil sic consuevit exacuere iram Dei, ut injustitia per principum violentiam adversus pauperes commissa. S. Chrysof. Enarrat. in c. 1. If.

Quod dedistis, dicitis; quod rapuistis, non dicitis? quos pavistis, memoramini; quare non recordamini quos necastis? S. August. hom. 47. ex 50. apud Olivam t. 2. conc. 7. die Ven. post Cin.

Dominus Jesus pauper, & mendicus; pauperum, & egenorum, hominum pauperimus; cæli, & terræ Dominus à Deo constitutus; ad dexteram Dei sedet pauperum omnium patronus, & fautor. Caveant divites, & potentes, nè suppriment vos: est enim qui quærat, & judicet. Noverint, quia Patronum potentissimum habetis in cælis; qui pro vobis respondeat; & Judicem severum, qui injurias vindicet hujus Mundi. Timeant offendere defensorem, qui ait Pl. 11. 6. *propter miseriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus.* O quot indicia occulta, & secreta, quotidie sunt in terra propter hos in pauperum spoliatores, & vexatores. S. Thom. Vill. tr. de Adventu Domini.

Cum quidam multis imprecationibus subditos suos miserè afflisset, & coëgisset arcem darissimis laboribus edificare; eosque inter laborandum, & alias, nullò aliò nomine, quam canes vocaret; nondum edificio absolutò, in gravissimum morbum incidit: cumque nondum ab imprecando, & convitiis solitis, desisteret; elinguis factus, nullam articulatam humanam vocem dedit, sed solum latratum caninum. Philippus Camerarius Centur. 1. hor. succif. c. 86. apud Stengelium tr. 2. Judic. div. c. 53. Mo-

Motiva alia.

Inclinabit se, & cadet; cum dominatus fuerit pauperum. Pl. 10. 10. Cum enim omnibus superior factus fuerit, minimè tamen effugiet mortis fauces; sed æquè, ac ceteri homines, sepulchro traderetur. B. Theodoretus hic.

Cum viro innocente innocens eris. Pl.

17. 26. Id est, qui nemini nocet, Deus se innocentem præbebit, id est, ei non nocebit, neque noceri ab aliis sinet. Bellarminus hic.

Sicut liberalitas signum est rusticitatis. Unde aliqui, qui reputantur nobiles, si ita loquendum est, rusticissimi sunt: eò quòd bonis suis spoliunt pauperes. S. Thom. Aq. opusc. 38. de erud. princ. c. 5.

TITULUS IX. ORATIO.

§. I.

*Figura, Symbola.**Ex Veteri.*

Vadit q. in somnis scalam &c. Gen. 28. 12. Ascensus Angelici sunt illuminationes, & meditationes, ascendentes in cœlum. Descensus verò sunt considerationes peccatorum, & miseriarum, omniumque defectuum nostrorum, & condescensivæ compassionis ad proximum. S. Thom. Aq. hic.

Pone custodes fontium. Judith. 7. 9. Incidit diabolus aquæ ductum, cum nos ab oratione avertit: per orationem enim, quasi canalem, omnis Dei gratia in nos influit: unde, & succisâ, diabolus nos superat, & capit. Cornelius hic.

Vox Domini super aquas. Pl. 28. 3. Vox orationis, ut à Deo procedit, potestatem habet super omnes aquas gratiarum, quas è cœlo descendere facit. de Ponte in Cant. 2. Exh. 28. 5. 2.

Fulcite me floribus. Cant. 2. 5. id est, juvate orationibus. Hugo Card. hic.

Sicut turris David collum tuum &c. Cant. 4. 4. Collum mylicum animæ sanctæ est oratio. ita Theodoretus. 1. Sicut collum erigitur in altum; sic oratio mentem à terra sustollit ad Deum in cœlum. 2. Sicut per collum spiritus attrahitur ad interiora refrigeranda, & roboranda; sic per orationem attrahimus spiritum Dei, qui æstus concupiscentiæ refrigerat, mentemque animat, & corroborat. Unde Pl. 118. 131. *os meum aperui, & attraxi Spiritum.* 3. Sicut turris urbem communit; sic oratio animam: & sicut turris suis vallatur propugnaculis, clypeis, & armis; sic orationis propugnacula sunt virtutes. Denique in ea est *omnis armatura fortium.* v. 4. Cornel. hic.

Aperiet os suum in oratione. Eccl. 39. 7. Infantibus, & pullis, non datur esca, nisi os aperiant. Broymard. Oratio.

Ex Novo.

Obtulerunt ei aurum, thus, & myrrham. Matth. 2. 11. Aurum Deo offerimus;

cum per patientiam probati in tribulationibus non deficiamus. Thus ei in ara cordis incendimus, cum internò ejus amore flagrantis, per studium compunctæ, & lacrymosæ orationis ei placere contendimus. Myrrham quoque de nostri cordis arca proferimus; cum pro ejus amore vigilando, orando, jejunando, petulantiam carnis edomamus. B. Ivo Carnot. f. de Epiph. D.

Fiat voluntas tuas. Matth. 6. 10. Catenam auream è cœlo pendere finxit Homerus, à Jove emissam; ut ceteri in terra degentes, ad eam appensi, ipsum è cœlo traherent: qui omnes totò conatu, opus aggressi inconfideratè in cœlum sunt tracti. Orationem S. Dionysius affirmabat esse catenam auream; quâ Deum ipsum ad nos trahimus, nosque ad eum trahimur; dum velle nostrum ejus voluntati subjicimus. Cornelius hic.

Unge caput tuum. Matth. 6. 17. Oratione caput, scilicet Christus, ungitur; quæ ipsum mollificat, & suavem reddit peccatoribus. S. Vincent. Ferr. f. in die Cin.

Acendit lucernam. Luc. 15. 8. Lucerna est orationis instantia; drachma verò est gratia divina; quæ, si perita fuerit, reperitur cum oratione devota. S. Bonavent. diat. sal. c. 14. de orat.

Ascenderunt in templum, ut orarent. Luc. 18. 10. Ad hoc debet quislibet ascendere in Ecclesiam, id est, ad orandum; non ad videndum mulieres; vel prava, & vana colloquia faciendum; quod tamen multi faciunt. Hugo Card. hic.

Recubuit super pectus ejus. Joan. 21. 20. Illi recumbunt super pectus Jesu, qui sapientiæ, & scientiæ, dant operam; & qui lectioni vacant, & contemplationi. D. Eusebius Emis. in Nat. S. Joan. Evang.

Habentes phialas aureas &c. Apoc. 5. 8. Anima Jesu phiala aurea est plena odoris, quæ sunt orationes Sanctorum. Petr. Cell. c. 19. de pane mercenar.

Ascendit fumus incensorum &c. Apoc. 8. 4. Sicut incensum super carbones frigidus non facit fumum ascendere; ita nec oratio. Broymard oratio.